



V
B J
C

NUMINA
JN ASTRÆÆ CÆLO,
ORBI POLONO PROPITIA,
PATRIJS LEGIBUS IURATA,
JNNOCENTIÆ ADDICTA.

JLLUSTRISSIMO & REVERENDISSIMO
DOMINO,

D. HIERONYMO WYSOCKI

CUSTODE GNESNENSI, & CUIAVIENSI,
ABBATE TREMESNENSI.
TRIBUNALIS REGNI

PRÆSIDENTE.

JLLUSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO
DOMINO,

D. STANISLAO POTOCKI

EXCUBITORE M. D. L. CAPITANEO RUBIESZOVIENSI, OPALINENSI, &c.

MARESCHALCO.

Ad Ingressum Iudiciarij Senatûs.

Panegyrico cultu.
à Scholis Pijs Petricoviensibus

ADORATA.

Anno ChrIstI OrbeM In IVstItIa & In bonItate IVDICatVrI.

Typis Clari-Montis Częstochoviensis.

JN STEMMATA.
JLLUSTRISSIMORUM DOMINORUM
PRÆSIDENTIS, & MARESCHALCI.




I.

CORNUA ſunt radij Capitis vel pulchra Corona
CRUX Regi Regum nobile Stemma datum
Fautores legum Reges ſunt ergo vocandi
His qui ſub ſignis, jura Polona ferunt.

II.

CORNIBUS atq; CRUCI ſummum nil imminet ultra
Excedit pariter Numina Diva nihil
Qui ſic aſſurgit ſublimis Veſtra Poteſtas?
O Patres Patriæ, creſcit adusq; Deos.

PRÆSIDENS.

Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,
D. HIERONYMUS WYSOCKI,
CUSTOS GNESNENSIS, & CUIAVIENSIS, ABBAS TREMESNENSIS.

MARESCHALCUS,

Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,
D. STANISLAUS POTOCKI,
EXCUBITOR M. D. L. CAPITANEUS RUBIESZOVIENSIS & OPALINENSIS, &c. &c.

ORDO SPIRITUALIS.

Ex CAPITULO GNESNENSI.

Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,
D. STANISLAUS BOREK,
CANONICUS CATHEDRALIS GNESNENSIS, & CRACOVIENSIS,
VICE-PRÆSIDENS.

Ex CAPITULO LEOPOLIENSI,

Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,
D. NICOLAUS SWIRSKI,
CANTOR CATHEDRALIS LEOPOLIENSIS.

Ex CAPITULO CRACOVIENSI.

Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,
D. JOSEPHUS ZAŁUSKI,
CANONICUS CATHEDRALIS, CRACOVIENSIS, PLOCENSIS, ARCHIDIACONUS PUŁTOVIENSIS.

Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,
D. MICHAEL KUNICKI,
CANONICUS CATHEDRALIS GNESNENSIS, CRACOVIENSIS,
CUSTOS SANDOMIRIENSIS.

Ex CAPITULO CUIAVIENSI.

Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,
D. STEPHANUS DUNIN ŁABĘDZKI,
CANONICUS CATHEDRALIS CUIAVIENSIS.

Ex CAPITULO POSNANIENSI.

Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,
D. ALBRACTUS GARCZYNSKI,
CANONICUS CATHEDRALIS GNESNENSIS, POSNANIENSIS.

Ex CA-

Prolatio Calami

Ex CAPITULO PLOCENSI.
Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,
D. MICHAEL WOLINSKI,
DECANUS CATHEDRALIS KIIOVIENSIS, CANONICUS CATHEDRALIS PLOCENSIS, LUCEORIENSIS, VARSAVIEN, OFFICIALIS ŁUKOVIENSIS.

Ex CAPITULO LUCEORIENSI.
Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,
D. ANTONIUS HORAIM,
CANONICUS CATHEDRALIS LUCEORIENSIS.

Ex CAPITULO PREMISLIENSI.
Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,
D. SIGISMUNDUS DROHOIOWSKI,
DECANUS CATHEDRALIS PREMISLIENSIS.

Ex CAPITULO CULMENSI.
Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,
D. JOANNES ALOYSIUS HUMANSKI
CANCELLARIUS CULMENSIS, CANONICUS CATHEDRALIS PLOCENSIS & insignis Collegiatæ Varsaviensis.

Ex CAPITULO CHEŁMENSI.
Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,
D. MICHAEL BORZĘCKI,
PRÆPOSITUS CATHEDRALIS CHEŁMENSIS.

Ex CAPITULO KIIOVIENSI.
Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,
D. JOSEPHUS CZARNECKI,
ARCHIDIACONUS KIIOVIENSIS.

Ex CAPITULO CAMENECENSI.
Illustrissimus & Reverendissimus Dominus.
D. MARTINUS ŁOSOWSKI,
CANONICUS CAMENECENSIS.

ORDO SÆCULARIS.

Ex TERRA VIELUNENSI.
Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,
D. FRANCISCUS TARŁO,
CASTELLANUS LUBLINENSIS, CAPITANEUS VIELUN: & PILSNENSIS, &c.

Ex TER-

Ex TERRA CHEŁMENSI.

Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,

D. JOANNES KUCZEWSKI,

VENATOR BIELSCENSIS.

Ex TERRA HALICIENSI.

Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,

D. STANISLAUS GRANOWSKI,

CAPITANEUS JABŁONOV: & PERISLAV.

Ex PALATINATU VOŁHYNIÆ.

Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,

D. ANTONIUS LUBIENIECKI,

PINCERNA CZERNIECHOVIENSIS.

Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,

D. MARTINUS DYDINSKI,

COLONELLUS EXECITUUM S. R. M. & REGNI.

Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,

D. STANISLAUS JWANICKI,

TRIBUNUS NOVOGRODENSIS.

Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,

D. DANIEL CIESZKOWSKI,

VEXILLIFER CZERNIECHOVIENSIS.

Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,

D. FELICIANUS DRZEWIECKI,

JUDEX TERRESTRIS KRZEMENECENSIS.

Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,

D. BOGUSLAUS BARANOWSKI,

POCILLATOR BRACŁAVIENSIS.

Ex Palatinatu Podoliæ.

Illustrissimus DUX *à Zbáráż,*

KORYBUTH WORONIECKI,

Ex Palatinatu Lublinensi.

Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,

D. MICHAEL BRODOWSKI,

DAPIFER BUSCENSIS.

Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,

D. JOSEPHUS JZYCKI,

PINCERNA LATICZOVIENSIS.

Ex Palatinatu Bełzensi.

Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,

D. PETRUS SZULIMIRSKI,

VEXILLIFER KIIOVIENSIS GENERALIS, JUDEX EXERCITUUM REGNI.

Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,

D. ANTONIUS TRĘBINSKI,

POCILLATOR BEŁZENSIS, CAPITANEUS TARNOGURENSIS.

Ex Palatinatu Mazoviæ.

Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,

D. CASIMIRUS RUDZINSKI,

CASTELLANUS CZERSCENSIS.

Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,

D. BASILIUS ZAGWOISKI,

CAPITANEUS CZERVONOGRODENSIS.

Ex Palatinatu Podlachiæ.

Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,

D. JOANNES GARCZYNSKI,

CAPITANEUS BUDZISZOVIENSIS.

Ex Palatinatu Ravensi.

Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,

D. STANISLAUS KRAIEWSKI,

CAPITANEUS GOSTINENSIS,

Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,

D. ADALBERTUS GRABSKI,

SUB-IUDEX TERRESTRIS GOSTINENSIS.

Ex Palatinatu Mariæburgensi.

Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,

D. STANISLAUS NARAMOWSKI,

CAPITANEUS USCENSIS.

Ex Palatinatu Czerniechoviensi.

Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,

D. FRIDERICUS SKLINSKI,

COLONELLUS EXERCITUUM M. D. L.

Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,

D. SAMUEL NAHORECKI,

CAPITANEUS COTELNICENSIS.

DEDI-

DEDICATIO LIRICA
ad
CELSISSIMUM
REGNI TRIBUNAL.



Randes Lecheæ Iustitiæ Patres
Sacro timendi Nominè Iudices
Vulgata per mundi recessus
Numina, Legiferi Tonantes.
Non fabulosum Vos Cybele genus
Non ficta Ledæ sydera Filij,
Iunonis augusti nepotes
Non rutili Phàetontes *axis.*
Cessat profano jam reverentia
Devota Conso, perque sacraria
Pro more ritus institutos
Invalidant nova Sacra Divûm
Illata templis, Palladiæ procul
Moventur aræ, zelus Apollinis
Et si calor quis pressit extas
Intepuit, periere Vestæ.

 Gentes

Gentis Polonæ gloria ſurgitis
Ipſis polorum ſedibus æmula
Quos thure Sabæo Quirites
Cum patrijs populis honorant.
Vos hic adorant poplite cernuo
Magnos Statores corda precantium,
Et læta paſſim cum dolore
Sollicitant pia vota turbæ.
Pectus potenti ſpirat anhelitu,
Crebris tumeſcunt viſcera motibus,
Nunquam quietos plebs frequentans
Nocte dieqve facit Penates.
Non obſeratur quinque repagulis
Arctata mæſtis janua Civibus
Et ſive ſontes ſive juſti
Introitu facili vagantur.
O! Sancta magni Numina Nominis
Vos ſupplicantis more modeſtiæ
Nullâ decorum luce quærit
Laudis opus Ciceronianæ;
Intrabit altum cum Iovibus cælum
Sed non amæno carmine ſplendidum,
Ut cùm precanti voce vos huc
Extulerit, videat beatos.

Ita vovent.

CELSISSIMI TRIBUNALIS REGNI JUDICIBUS,

Devotiſſimæ Scholæ Piæ Petricovienſes.





Am reſeratum eſt Iuſtitiæ Sanctuarium, jam ſacerrimæ litatum eſt aſtrææ, focos accendit Pietas, victimas cremarunt acerræ: cui fumant altaria? cui flagrant aræ? non pictæ Icones, ſed vera & viva eſtis Numina. JLLUSTRISSIMI, & EXCELLENTISSIMI IUDICES DEPUTATI. Cælum ſuo imperio, Orbem Lechicum Veſtræ tradidit Poteſtati ſupremus rerum Conditor & Rector, ut ille Dominus Dominantium, Vos eſſetis Domini gentium. Miniſterium Honoris Veſtri Regnum quoddam eſt, ubi tantùm de corona ambigitis, qvantùm de Iuſtitia; Regnum aſtris conferendum. Si ſpectemus Veſtræ Serenitatem gloriæ, magna dicemus Luminaria, quæ diem invehunt felicitatis, lucent veritati: Si meritorum conſideremus qvalitatem, mortalium conditionem ſuperatis, quos Lex Sacra Sanctos, Pietas in Rempublicam Divos facit. Invident Octobri alij Menſes, quod ſuas ferias Veſtræ Dignitatis natali non cõſecrent, licet agant Honoris & tantorũ Nominum ſolennia; eò glorioſius, dum ſupernis Civibus una dies, Vobis integer annus & ſupra, cedit ad gloriam. Sterneret Majus primo Majeſtatis Veſtræ ingreſſui violas, ſterneret purpuras, & ſingulos paſſus roſis coronando, calcari laudi ſibi duceret, dummodo pro regio ſuorum florum titulo Vos ProReges videret. Beatitudinem cederet Vobis Dijs, qvam medius in annuo curſu tenet Junius, ſi tantùm viſione gloriæ Veſtræ frui poſſet. Auream meſſem ferret Iulius; Auguſtus verò quantùm ſe dignior emineret, cum AUGUSTI II. Regnantis Noſtri Vices gerentes, Vicarios, Atlantes, Succollatores

Ingreſſus Illuſtriſſ: Dñrũ ad Tribunal Menſe Octobri.

adoraret; ter Auguſtus enim & ſuo vocabulo, & Monarchæ Lechici Nomine, & Magnitudine Veſtri Honoris diceretur. Qvos Sponſos, aut Tutores illa cæleſtis Virgo majori ſtudio & affectu quæsiſſe potuiſſet? qvam doti ſuæ pares, quia ſanctas, intactas, incorruptas Veſtras animas; Illos in Republica tot præeminentijs & rectefactis auditos, Illos Zelatores publicæ tranqvillitatis, Illos univerſalis boni æconomos, Illos Patriæ fortunæ Proviſores, quos Iuſtitia peperit, Virtus enutrivit: Hanc felicitatem lugent præreptam authumnalibus obſepti nubilis Septembres, & pene deſperabundi aqvis ſuffocari connituntur, neq; tot tempeſtatibus actam Honoris Veſtri revocabunt onerariam, neq; meridianum gloriæ obſcurant ſplendorem, cum in ſummo aſcensûs gradu ſteteritis, quando ipſe Sol ad ima deſcendens ſuam Vobis cedit Coloniā. Creari in Septembri, verè tamen fieri in Octobri Vos Iudices Deputatos convenit, vel qvod hoc numero in vobis beatitudo impleatur, vel quod in ſummo perfectiſſimoqve gradu Aſtrææ zelus pectore Veſtro intendatur, & ubi omnis ſubſiſtit perfectio; ceſſat proceſſus, hic incipit Veſtræ gloriæ incrementum. Sic fit pro meæ Panegyris evidentia, quod cum Franciſci Stigmatibus, ubi illæſam aſſumitis Iuſtitiam, Deificemini, non aliter, qvam ſi jam non Numina, ſaltem Divini Seraphini vocari debeatis. Errarem hoc in paſſu, niſi ſtaret illud pro me teſtimonium; *Conſtitui Te Deum Pharaonis*. Profundiſſimâ ergo ante Tribunal Veſtrum cadendum eſt latriâ, ut pote Sanctiſſimis Legislatoribus ad cultum exhibendum. Illos Sacer Eccleſiaſticorum Ordinum charecter, alios ſignaturæ ſæcularis judicandi Authoritas, imò omnes pariter Deos facit, quia Iudices. Legum quippe eſtis Conditores, ad Vos refertur Pietas, ad Vos confugit Religio. Fulmina detonatis, aureum aſpergitis rorem, & ſic Ioves; conſcientias inſpicitis, mores corrigitis, vitam ſcrutamini, & ſic ſummi Arbitri: In Vobis Fides jurata Reipublicæ, ſpes & expectatio populorum, amor fundatur Patriæ, & ſic ſumma Theologia.

Circa Feſtum S. Fracīſci.

ologia. Providentiam, Scientiam, Omnipotentiam, Clementiam, Miſericordiam, milleq; attributa non inquiro, ipſam tantùm in Vobis miror nec capio Trinitatem. Pater eſt, qui generát; ecce Patres Patriæ! Genitores Iuſtitiæ, Patres multarum Gentium: Filius eſt verbum, ecce legem! qvam dicitis, qvam loqvimini: Spiritus eſt qvi ſpirat & procedit, ecce amorem libertatis! ecce cauſarum proceſſus! ecce Columbas pauperum fletui aggemementes! Unitatem credamus, vel in unione armorum, vel ſub uno Poloniæ Regnatore Sereniſſimo AUGUSTO, ſtante Iuſtitia, qvem vitæ & necis Dominum, ſignant *Enſes.* Trinitatem prædicemus in Celſiſſimi Primatis THEODORI POTOCCII *Crucibus* quarum auſpicio Lechica triumphat Themis. Imperium ſtemmaticæ ſuæ *Coronæ Rex Crucis* Regnum Regni Primas Vobiſcũ partitus eſt, quia & Ille dimidiatum Stephanoma, & Hic non plenas Cruces ſortiuntur: ut meritò liceat aſſerere, quod Vos Illuſtriſſimi Domini, Cæſares, à plectendis & cedendis ſceleribus ita dicendi, cum utroq; Illo quidem ſæcularis Reipublicæ, Hoc Sacri Senatûs Iove diviſum Imperium habeatis. Dij Vos boni! cælum ſalvandis populis veſtro infertis Iudicio. Dij Vos boni! ſuperbam malitiam, pervicacem contumaciam inferno addicitis. Dij Vos boni! Angelos in comitatum & incolatum aſſumitis, dum ipſam ad latus conſervatis Innocentiam. Dij Vos boni! qvi gratias & dona in Orbem Lechicum diſpenſatis. Dij Vos boni! ad Veſtram liceat aſpirare gloriam Viatoribus, in quorum meritis, virtutibus, rectefactis, ac quadam animi beatitudine, nullus Oratorum egit comprehenſorem.

Sereniſſ: Regis Poloniæ Stema ac Celſiſſ: Primatis.

Utinam meum humile ingenium Tuo Gentilitio elevaveris acumine Illuſtriſſime & Reverendiſſime Tribunalis Regni PRÆSIDENS, ut tantum aliqua ex parte, ſi non facie ad faciem, Te primum Numen in Aſtrææ Cælo poſſim contemplari. Tu ſumma emines dignitate, tantùm proximus Cælo, quantum affinis Sacerdotali charactere, Deo. Solium gloriæ Tuæ nimis Excelſum & ele-

Encomium Illuſtriſſ: Præſidentis.

vatum, non ipſo Nomine, ſed majoribus meritis. Ut quid tamen impoſita Tuæ Celſitudini cornuum geris faſtigia? ne ſcilicet aliquid deſit WYSOCCIANÆ Divinitati *ſi vel* minimâ acu tangeretur: unde Tibi ſoli illud eſt ſubtile Divinumq; ingenium quo omnia penetres, Tu tamen non poſſis comprehendi. Illuſtriſſimum *Rogalam* Tuum, dicam radios Tuæ Sanctitatis indices, dicam ſigna apotheoſeôs. Certe, licet unuſquiſq; pro ſuo arbitretur velle, & pro Tua certet laude, nemo negat Sanctum Tribunal, incorruptam Iuſtitiam, intactam Innocentiam, emendatiſſimos mores, pientiſſima facta, ardentiſſimum honoris Divini zelum Tua Sub-Præſidentia. Dux es electi populi Moyſes, *ſic Te cornua produnt*: Tu primus Sanctiſſimus Legislator, Familiaris Deo Amicus, arcanorum cæleſtium Arbiter, pacis & libertatis Auctor, legum Fautor, & Regum admonitor, Lex Tuis creditur manibus, Iudicium Tuæ committitur Prudentiæ, gentes Poloniæ Tuo ſubduntur Imperio. Terra promiſſionis lacte & melle fluens in Noſtram Patriam Te Anteſignano certiùs commigrabit. Hinc in ipſa fronte altare Honoris Tui poſitum eſt, ut primus cultus in Sanctuario Iuſtitiæ Tibi primo Numini exhibeatur. Litant hic devoti Patriæ Cives ſua corda, imò etiam cum corde vitam; litant fortunas, quia nihil gratiùs offerre poſſunt Authori ſuo, quam quod accipiunt. Cadit enim non una ſors erigiturq; Tuis decretis; cadit, quæ ruinam publicæ integritatis nitebatur, erigitur, quæ ſolô livore oppreſſa corruerat. Frequentiam populi vel Divina oracula, vel tot virtutum Tuarum convocant miracula. Effata quippe Tua, ſi ſemel proferantur, jam æternitati inſcribi debent. Os Tuum cum ſe faciendæ legi aperit, fulgurat quidem voces omni flammâ puriores, non quæ lædant fulminum more, non quæ terreant velut tonitrû, ſed ut Stillicidia germinantia ſuper terram effundantur, aut placidam indutæ nubem tantiſper ardorem ferventium aſtrorum temperent & urentibus ſe opponant radijs Planetarum.

Ponè

Servire Deo

Ponè Honoris Præsidentialis, imo hac in ipsa Ara CRUX Tua locari debet Jllustrissime & Excellentissime Tribunalis Regni MARESCHALCE, si rite laudis Sacrificium ab Oratore Mysta persolvi velis. In illa veneramur Divinitátem, in illa trophæum salutis publicæ adoramus Plùs supra homines de Te sentiendum, quia Ministerium & Mysterium imples Dei. Plùs quàm Magnos Constantinos in terna CRUCE videre est POTOCCIOS. Signa hæc Orthodoxis supra omnem attolluntur eminentiam; signa hæc à fronte ad pectus & brachia ducta, Caput. Cor, Succollatores, jam & vitam Patriæ Vos ostendunt Illustrissimi POTOCCII. CRUX Vestra Iudiciariæ pondus est libræ, in illa & æquitatem & pretium exhibetis, Crux ad resurrectionem non ruinam. Verùm est, quod terribilis in extremo parebit Iudiciò, timebunt gentes, trepidabunt Regna, pavebunt nationes sed impiæ. Tota Trinitas in huius Crucis gloria videbitur, quæ nunc ex parte est abscondita, ut parum à Numinibus distare constet POTOCCIOS. Vel certè cum exiguo Stemmatis defectu, maximum Domui Vestræ Superi parant commodum, quando Vos sine termino & fine perennaturæ gloriæ vivere volunt immortales. Quomodo Vos non ament Superi? qui uno gradu ab Humana receditis mortalitate, ut cum sic fastidium transeuntium rerum, ascensum pariter nemini facilem, exhibeatis, nisi perfectæ CRUCIS viâ ad Gloriam sibi sternat iter. Ascenditis eò Honoris, ascenditis eò meritorum, quò eniti non est capax Patriæ gratitudo: omnes Dignitatum fasces sic occupatis, ut nulla supersint rectefactorum præmia, ad sudores Vestros ad merita in Rempublicam coronanda. Stalla Senátorum, Purpuras Principum, Scipiones Mareschalcorum, Sigilla Cancellariorum, Clavas Ducum. pennas Iudicum, tenuistis, usq; Sceptrum Regis Regum commodare ad Acta Poloniá, cuj ad aliarum æqvalitatem tollendam Familiarum Honoris Vestri majori indiciò semiduas adiecit parallelas. Stipticam

Encomiũ Illustriss: Mareschalci.

dice-

dicemus Patriam; quid mirum! cùm ex alieno dispenset. Secretum ego video, quo declaratur, semper defuturum imperio, ut grandia impleat merita POTOCCIORUM.

Encomiũ Illustriss: Vice Præsidentis. Et Vobis Dijs Illustrissimi & Excellentissimi Iudices Deputati, & Patriæ Beatam signat æternitatem coronatus *Serpens* Illustrissimi, & Reverendissimi VICE-PRÆSIDENTIS. Pridem ille venenata deposuit toxica, pridem fraudes, olim toti illátas orbi dedidicit, quando intra domesticos BORKONUM assvescendo parietes, clementiam, familiaritatem, affabilitatem, in naturam contraxit. Exaltatus hodie in honoris Vicepræsidentialis fastigio, vitam populis impertitur. Symbolum enim est salutis publicæ. Si consilia, si prudentiam quæramus nonne? ab illo commodè haberi potest, ut bene omni scientiâ præditum notet suum Mercurium. Caduceatorem verò agit ante augustam Domûs BORKONUM gloriam, ad altiores Regni curules deducturus.

Ex Ordine Spirituali reliqui seqvũtur.

Illustriss: Leopoliensis. Annularis *Szaławæ* circulus Illustrissimi & Reverendissimi Leopoliensis desponsat Astream immortalitati, ac ternis *Crucibus* benedicit. Felicissima hæc sponsalia, quibus SWIRSCII aureâ rota Fortunam vehunt Patriæ. Hic primò discet constantiam vertumna Dea, aut fidelem aget Ephestionem. Et si profana est, in annulum Piscatoris consecrabitur, vel Pontificias gemmas sibi congregabit.

Illustriss: Cracovienses. Auget Tribunalitiæ incrementa gloriæ suo Nomine Illustrissimus & Reverendissimus JOSEPHUS ZAŁUSKI, cujus si contemplamur *Agnum* typum gerit Salvatoris. Non tepebit maximô etiam grassante gelu ad hybernales ferias Iustitia, quando mollem & aptam fovendo calori *Iunoßá* offert lanam; imò ver temperatissimum sub hoc regnabit signo. Cordi Regum proximus est *Agnus*, Principibus primisq; purpuris ZAŁUSCIORUM aureum infert vellus; pulsat pectus Regnantis, ut aliquando summum Honoris augustale aperiat.

Erigit cornu salutis *Boncza*, Illustrissimi & Reverendissimi

dissimi NICOLAI KUNICKI, dumq; incitato Cælos aperit saltu dignus est in astra referri. Colligerem erectâ sursum dioptrâ Zodiaci aspectus, specularer merita, sed casum timeo. Satis est, quod sui capitis index è directo Cælos feriensq́ Solem Imperij, meridiem Honoris approximare notet: aut hastatô acumine in Olympijs gloriæ de corona contendit Domui suæ inferenda.

Illustriss: Cujaviensis. Non ipse Iupiter etiam Diva Themis olorinâ penna Illustrissimi & Reverendissimi STEPHANI ŁABĘCKI, Cujaviensis favorabilia subscribit decreta quæ lassis iudiciali in processu suavissimo est flabello, fatis verò proximis patientibus, dulcia *Cygnus* occinit. Quod olim Capitolio anseres, idem Sarmatico Latio præstat *Olor*: nunquam metuendi sunt hostes, sub ŁABĘCCIORUM custodia tutò vivit Respublica.

Illustriss: Posnaniensis. Favent semper Innocentiæ GARCZYNSCIORUM astra, ut, ubi à fletu intumuerint pupillorum viduarumq; tempestates, in Illustrissimi Posnaniensis Castore & Polluce serenissimam sperent malatiam. Duo hæc sidera auroram & Hesperum indicant, cum altero aureum rorem vel magnæ dignitatis præstolantur orientem, cum altero noctem inducunt Patriæ hostibus, aut umbras parant sceleribus tumulandis.

Illustriss: Plocensis. Non sterilem colligit messem augendæ Patriæ Fortunæ, sustentandis Civibus *Falx* Illustrissimi & Reverendissimi MICHAELIS WOLINSKI Plocensis, Collisa Petræ Apostolicæ *Solea* Triumphales elicit ignes, *Crux* velatæ oculis Themidi rectum monstrat iter; cujus Regio tramite Senatorum calcabit purpuras, ibit per ardua quæq; Honoris fastigia, antequam in summo gloriæ gradu, typus & Divinitatis signaculum, ab omnibus gentibus adoretur.

Illustriss: Luceoriensis. Gemmas propinat Illustrissimus ANTONIUS HORAIM Luceoriensis, gemmas dat ex Avitis *Fluminibus*. Certè ditescit Imperij Nostri corona, cum & ipse sit Thesaurus Patriæ, qui divitias reddit amittentibus AN-

TONIUS. Thaumaturgum dicimus, Dei Hominis Portitorem, Dispensatorem miraculorum, quando cæca Themis ad sui conspectus lucem perspicit, claudicantes fortunæ eriguntur, energumenæ, Iudiciali scilicet strepitu, rixisq; implicatæ multorum mentes, liberantur.

Illustriss: Culmēsis. Gentilitia Illustrissimi JOANNIS ALOYSII HUMANSKI Culmensis *Solea*, fontes solatiorum publicæ elicit felicitati: si quis de fontibus gratiarum IOANNIS gustaverit; non sitiet in æternum. Præcursorem ad magna Regni negotia agit, vel etiam ipse Stemmaticus ales dictus *Lastrzębiec*, qui præter naturam ferrum in prædam rapit, ut quidquid durum, quidquid halybeum tollat è Republica: effert adversas Cruces, quatenus solis tantum victoriarum trophæis exaltetur.

Illustriss: Chelmēsis Quis ut MICHAEL ad Iudiciariam conventius interessari potest stateram præter Illustrissimum BORZĘCKI. Prælium facit in cælo, cum suis illud meritis & virtutibus rapit violenter. Principem hodie veneramur, cuius manibus commissum est Tribunalitij ius gladij. Ducem refert suo ethymo sub cujus authorari signa, Cæli agere incolam non incompertum.

Illustriss: Kijoviensis. Provehit in altum gloriæ fortunatissimâ Argo Poloniam Illustrissimus JOSEPHUS CZARNECKI Kijoviensis, ut non aliò quam ad Beatas felicitatum Insulas se Nauclero appellat. Pro portu hodie ad Petram, Petricoviensem stetit Iustitiam, sed brevi tanget Infulata culmina, tanget aureos Iberiæ montes, cui pro velis Episcopales Tæniæ, pro remis Pastorale, pro funibus aurati cedent torques, sub Crucis Pontificiæ signaculo.

Illustriss: Camenecensis. Jmplet & complet omni benedictione Senatum Spiritualem *Crux* Illustrissimi MARTINI ŁOSOWSKI, cui si latriæ cultum exhibeo, nihil præter reverentiale pendo debitum. Decades & annorum centurias numeret, multiplicata semper omnigenæ felicitatis maximorūq; Honorum auxesi. Crux illa necdum est perfecta, tunc demum consummabitur, quando non particulas Dignitatum,

tum, non reliquias fortunarum, ſed plenos Lechia faſces applicabit.

Prima hæc eſt beatitudo quam Aſtrææ infertis Numina Vos Sancti Sacerdotes, pij Eccleſiaſtæ, Angeli Miniſtri Dei imo Vicarij & ipſi Dij ut pote omni bono abundantes.

Transfero jam ad Vos volatilem pennam Illuſtriſſimi JUDICES Ordinis Sæcularis: utinam hic quoq; alatus poſſim eſſe Seraphin, ad aſſiſtendum Veſtræ Divinæ Majeſtati. Senatus ac Iudicium præſens, non Catones, non Ariſtidas, non Solones, ſed quam à Vobis didiciſſent Iuſtitiam, qua informari petiſſent in ſententia, illam exhibet gravitatem. Pennas tractatis, quæ fovent in populo frigentem innocentiam: Characteris Veſtri illa ſignum eſt Sceptrum ſcilicet imperij leve ſatis, quo tamen fortiter Polonam Rempublicam collapſas Nobilium opes fulcitis, quo leviter admodùm ſubditis mandata imponitis. Pallent atris ſæpiæ noctibus protocolla, quibus magna veſtra inſcribuntur nomina, quid tamen hinc emergit? ſi non Soles gloriæ Veſtræ, aut plenis meritorum figuris exſatiata, aut plurimis rectefactorum variata coloribus Cynthia Stellas minores diçam plebem! quanta lumina à Vobis accipiunt? quando innubem ſerenitatem in ſole Iuſtitiæ explicatis.

Poſt Scipionem ILLUSTISSIMI & EXCELLENTISSIMI MARESCHALCI vel locum collateralẽ tenes vel ſuccedis cum Tua *Aſcia* JLLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE CASTELLANE LUBLINENSIS: nonne ad architectandum Aſtrææ Cælum Patrijs legibus ad immortalitatem, libertati ad felicitatem, populis ad æterna gaudia, quando avita Domus Tuæ TARŁONIANÆ *Luna creſcens* videbitur in lucis plenitudine operoſior. Æmulum hoc Othomanno Sidus, cum jam Orthodoxâ Religione acceſſiſſet propiùs aſtris, ſtat in decreſcentem Solimanæ potentiæ. Auget verò ſplendorem Gentilitiæ Toporeorum *Securis* quæ ſatis fulgida ma-

Ex Ordine ſæculari.

Illuſtriſſ: Vielunẽſis.

gnis orbi Polono extruendis nata decoribus quia tamen acerrimè exerces Iustitiam, semper in stemmatica Phœbe Cælum habet propitium.

Illustriss. Chełmensis. Appiam Honoris decurrit viam bene suum Præcursorem signans JOANNEM *Solea* Illustrissimi & Excellentissimi KUCZEWSKI, CHEŁMENSIS. Maximam in illa suæ Prosapiæ ducit pompam, quod nullum post se relinquat pulverem, quo offendat Themidis pupillam, illas nisi per legum volumina excitat atomos, quæ in magna suæ Domûs accendantur phenomena. Nec eget Pegaso, cum non segni meritorum in Rempublicam gradiatur passu, ut pridem jam in Principum Mytris suam sphæram perfecisset ac stetisset, si tantum meliori fruge gloriæ suæ, & Patriæ bono, campos bellantium non expeteret.

Illustriss. Haliciensis. Dux olim Regum stella novum etiam hodie Illustrissimo GRANOWSKI, Haliciensi monstrat Imperium. Asteriscum hæc, *Luna*, comma faciunt necdum tamen vota, necdum hic sistunt Lechiæ suspiria, donec totum ambitum Coronæ, plenam suæ famæ tangat periodum. Pertraxerunt suas in partes *Dolivitæ* Cælum, cum sic coronentur, aut tota in Caput GRANOWSCIORUM contermina polo se se devolvet Polonia.

Sterilem aliquando incusans Fortuna Glebam, à *Vomeribus* Illustrissimi LUBIENIECKI fertilem sperat culturam, & quod aliàs cum his Piasto advenit, hodie ad Illustrissimã Domum in Vice Regia functione & Regina Florum Rosa se transfert Lechiæ Imperiũ. Principatu nequaquam excusari potestis, cum in Domo Vestra sit panis, in Æconomico Aviti Stemmatis spectatus insigni. Certè semper ad excolendum triumphalem gloriæ campum, fæcunda uberiori trophæorum messe Poloniæ arva Illustrissimi LUBIENIECCII fecerunt, scindent ipsa quoqve aurea Honorum jugera, in quibus pro Avitis Rosis Procerum legent purpuras.

Paradi-

Paradisum voluptatis Illustrissimus DYDINSKI Volhyniæ suis offert lilijs Innocentiæ, aut certæ intaminatum erga leges Patrias explicat candorem ut in ipsis aliquando maximus gloriæ Polonæ revireat Candidatus. Disgregativa sunt visus, sed congregabunt in Te convertentq; omnium oculos, quando Senatoriæ de illis certabunt purpuræ, quando has Princeps Alcinous trabeato importabit Pæsto, cum inquam, in triumphali orbi Sarmatico cedent coronamentum. *Illustriss. Volhyniæ.*

Æmulantur soli Iustitiæ Illustrissimi JWANICCII *Plenilunia*, Nox etiam sicut dies illuminabitur, quando tanta in Patriæ cælo horoscopantur sydera, Agant nunc prædas Nobilium expilatores Fortunarum, furentur atq; diripiant sangvineo expressos sudore Incolarum labores, arbitrum habent hunc Oculum qui dum umbras excutit, ambulantem in nocte ex asperis in vias planas deducit Iustitiam.

Ad defensionem pacis publicæq; Libertatis pro arcu ex *Solea* tendit Sagittam Illustrissimi CIESZKOWSCII *Dołęga* ut ubique triumphet, hodie tamen judiciario stylum & pennas addit characteri. *Solea* quidem equitem *Sagitta* suum signat Apollinem, sed quam commodè, dum armis & ingenio Patriam protegunt CIESZKOVII, utroq; scilicet Marte expediti. Togam quærimus, purpuram pridem meruit cruenta *Sarissa*, sagum petimus, parata semper ad Bellonæ certamina solea.

Aut pro triumphali Corona, aut pro invinculandis sceleribus Astrææ infert *Fasciam* Illustrissimus DRZEWICKI quare tamen vacuam? ubi tot lecti fasces? tot parta trophæa? Sagenam dixero, quæ ex omni genere congregatos ad Iudicia populos bonos in vasa eligit, malos aut reprobat; sed verius cæli simillima est Imago, utpote candida & perlucida, tunc primùm implebitur, cum nulla supererit, quam non salvaverit Innocentia.

Orientem Iustitia, Occidentem *Lunam* habent vitia in *Ostoia* Illustrissimi BARANOWSKI, quorum lites

 & jur-

& jurgia medio diſcindit *Gladio* æqvus utrinque Iudex necis vitæq; Dominus. Altera vel ex repreſſo enſis fulgore vel ſic nata in Zodiaco Illuſtriſſimæ Familiæ Phæbes: Illa quidem glorioſa quod cumulatis meritorum ſplendoribus impleat Sarmatiam, hæc miraculoſa, cum Dij plura Illuſtriſſimis BARANOVIIS multiplicaverint, quam ſibi fecerint Luminaria.

Illuſtriſſ. Podoliæ. Diem bonum incæpto Iudiciorum anno dico cùm Aurora Celſiſſimi Principis KORYBUTH WORONIECKI Podoliæ, diem bonum! à ſigno *Crucis* inchoatum; diem bonum? non pluribus tantùm inclytæ Domûs aſtris luminoſum, ſed tot rectegeſtorum in Republica clariſſimum. Sub his enim ſyderibus quid naſci contingat, ſatis perſpectum eſt, non illos fatuos ignes non male præſagos Cometas, non metuenda fulmina, ſed genuinos ſoles, & grandia in Imperio Aſtra.

Illuſtriſſ. Lublinenſes. Jbo poſt veſtigia *Soleæ* Illuſtriſſimi BRODOWSKI Lublinenſis, quod glorioſos fecerit paſſus? quot agones peregerit? Orbi toto par eſt ſuâ Sphærâ metiendo, nullibi non triumphalis, nullibi non Arcus Fortium. Quidquid calcavit roſa erat, ubi inſtitit, publicum fecit iter, ubi inſilijt, ſtragem hoſtibus intulit, Patriæ verò ſignavit lætitiam. Lubricam ceſpitare nunquam permiſit ſortem, ſi ad lápidem offendit victoriales excuſſit ignes, ſi in glaciem venit tutò inſequebatur victorias.

Monocerotis Jlluſtriſſimi J Z Y C C I I virtutem, quis ſatis deprædicet? quem vel invidiæ, vel raritatis ergò ſuperi inter aſtra retulêre. Digni quippe Cælo Honoris Illuſtriſſimi J Z Y C C I I quod pro meritis ſuſcipiant, digni, qui per Auguſta Regni ſedilia tanquam lucidiſſimæ ſtellæ numerentur. Nunquam etenim victus ab hoſte *Unicornis* intra ſinum Patriæ Virginis, pro cujus integritate invicta ſe ſe opponit dexteritate, debet quieſcere.

Illuſtriſſ. Belzenſ. Quid anteactis? quid præſentibus ſæculis egerit? *Solea* Illuſtriſſimi S Z U L I M I R S C I I, numerant antè & retrò poſitæ *Crucis* decades: & ubi his exaltata eſt tro-

phæis

phæis quæ pro muro & antemurali, pro cuneis ſtetit bellantium, quod olim ſoli inſctiptum eſt Lemma, unicâ adjectâ notâ, hodie ſibi adſciſcit: In ſolea poſuit tabernaculum ſuum Polonia. Hemiſphærium quoddam refert, ſub quo optimos ſemper Reſpublica notavit influxus; medium verò ſe flectit in orbem, tunc perfectæ futura plenitudinis, quando grande Imperij pomũ comprehendet.

Cornua bovis & cervi in prædam habet Illuſtriſſimus TRĘBINSKI ſpolia hoſtium, cornutæ præſertim decuſſá Turcarum lunæ. Audire ſi placet debuccinantem Nominis illorum famam, orbem integrum, quà Orientem, quà Septemtrionem ſpectat, attonant; Patriæ autem applauſus inſtituunt triumphales Alterum virgas & frondes refert tot lectarum in Martis arena palmarum; álterô, flexo veluti acumine, necdum tamen fracta vel inclinata te eſſe Regni fulcra commonſtrant.

Non ingemit ſub *Cruce Prus* Illuſtriſſimi RUDZINSCII Mazoviæ in Stemmaticorum Sphæram contractus armorum Orbis Polonus, imò Fortunam cum Tiberio, felicitatem & victorias cum Conſtantino invenit. Pulchrum & rarum videre licet connubium, ſupernâ favente benedictionè, quod mors *falce*, vita ſoleâ ſignatæ, iniêrunt. Immortalem videamus Sarmatiam, quando ſociato fædere, æterna concordiâ, & fatá ſemper noxia, & vita ſimul inhabitant. *Illuſtriſſ: Mazoviæ*

Alibi Martios æſtus Illuſtriſſimi ZAGWOYSCII *Flumina*, hic verò accenſas lites & jurgia, flagrantes iras & odia reſtinguunt. Non eſt opus fabuloſo illo Iovis rore Poloniæ, ex trifluo ZAGWOYSCIORUM Nilo omnem haurit fæcunditatem. Hinc enatant fortes illi, ſive ferrei Achilles, hic ſitientes Iuſtitiam bibunt populi, hic purpurati exoriuntur ſoles, hic abſque adverſis bellorum fluctibus, ſine infeſtis malorum Aqvilonibus quieta pacis inveniuntur Alcionia.

Amaris erga leges Patrias in ſe ſuaque *Sagitta* Illuſtriſſimus GARCZYNSKI Podlachiæ præbet teſſeram, *Illuſtriſſ: Podlachiæ*

D ut jam

ut jam qui antea in pectore sui Redemptoris recubuit, gratiosum nunc offerat Lechiæ sinum IOANNES. Floridum alij prætendant amorem, pharetrato Illustrissimi GARCZYNII opus habent, quo illa inferant Reipublicæ vulnera, quæ tingant purpuras, non sanguinem provocent, nisi hostilem.

Illustriss. Ravensis. Non ipsis tantùm justis devotioni, impijs etiam defensioni reserat suâ *Clavi* Iustitiæ Sanctuarium Illustrissimus KRAIEWSKI Ravensis, ut illi meritum & gratiam inveniant, hi veniam conseqvantur. Si illâ liceret aperire pectus suum, ærarium publicæ felicitatis, Augustale Patriæ Libertatis, Templum Pietatis, Promptuarium legum, Archivum sapientiæ penitùs videremus; apertiùs dicam, quantus sit Orbis Poloni Thesaurus KRAIEWSCII, monstrat *Iaśieńczyk*, ut ipsum etiam cælum sub custodiam illius tuto possit tradi.

Portam triumphalem erigit suâ Soleâ Illustrissimus GRABSKI, qua ovans semper incedit Religio, tripudians ingreditur Iustitia, ipsas victorias infert Sarmatia. Cedit ipsi gloriam Italiæ Capitolium, adorant Latiæ turres, quæ Pompeiorum Stiliconum, Honoriorum superbiebant trophæis, cum unus Stemmaticus passus, plures secum duxerit triumphos, una bellorum messis collecta GRABSCIORUM Nomine majores fecerit gloriæ fructus, quàm Quirinales arces comprehenderint.

Illustriss. Mariebur gensis. Quæ Baltidem & Euxinum felici tranavit remigio *Oneraria* Illustrissimi NARAMOWSKI, Mariæburgensis optimam inter judiciarias fluctuantibus procellas spem porrexit, quando pro remo Mareschalcalem portavit Scipionem. Penes Prudentiam suiq; *Iasonis* vigilantiam non jam ad Colchidem pro aureo vellere, sed ad coronata Regni appellet fastigia Gentilitia Argo, enavigabit Mare rubrum purpurarum, scindet æquor gloriæ, intrabit Fortunarum Gangem, tunc demum implenda, cum nulla superent, quam non capiat dignitas.

Cælis

Cælis ſurſum approximat *Sagitta* Illuſtriſſimi SKLINSKI Czerniechovienſis, vel emiſſarium agit ad ſuperos. Quid verò nuncij referat? ubi laceram conſpicimus: placata Numina, conciliatam pacem, fractam iram defert Imperio. Ita conſtat de bellica SKLINSCIORUM dexteritate, ut nulli ſint tanti hoſtes, qvibus profligandis unicum hoc Stemmaticum non ſufficiat jaculum. Crucem vel ideo repræſentat, non quod devotam exigat adorationem, cui gentes profundiſſima ſemper ſternuntur latriâ, ſed quod ſignatum hoc trophæo aureum Regnantium pomum in prædam & lucrum ſuæ fortitudinis tuliſſe debuerat, cum pridē illud pro meta ſuæ gloriæ ejaculaſſet. *Illuſtriſſ: Czerniechovienſ.*

Conſtantem jurata in Patriam fidè Illuſtriſſimum NAHORECKI ſignant *Lunæ*, fortem ad gerenda bella notat *Gladius*. Videre licet, qualiter plenam furoris diviſerit & diminuerit Othomani Cynthiam, ut Patritio ſciſſa enſe verſis cornibus ſuum repetat in decreſcenti Orientem. Gaude Lechia! & novum gratulare Gedeonem, qui non quidem ſolis, ſed Lunarum ad occidentem Lechiæ vergentem ſtitit curſum.

Claudit agmen Iudiciarij Senatus *Solea* Illuſtriſſimi MICIELSKI, SubIudicis Siradienſis. Si medium attendo circulum, Iris eſt, ſine qua univerſale hoc Orbis Poloni non peragitur Iudicium: ſi pedis adverto ſignaculum, non parvum eſt MICIELSCIANÆ gloriæ veſtigium, quo ſtat Iuſtitia. Ultimam illi dictionis conſecro periodum, quæ grandem paſſibus glorioſis Orbem implevit Sarmaticum, ut ubique latam Honori ſuo fecerit appiam, ubique ad Imperij faſces planum iter attriverit. *Illuſtriſſ: Subjudex Terreſtris Siradienſ.*

Hic hæreo inter Auguſta Lechiæ Nomina, Numina dico, licet partim per cæleſtium, partim ſublunarium Stemmatum divagari paſſus ſum vilem eloquentiam, objecta; utrumq; tamen Deorum gloriam, utrumq; concernit Majeſtatem & potentiam. Illud mirùm! quod in Divino hoc Sanctiſſimi Areopagi conſortio, necdum meâ facundiâ Divinus Plato eſſe potui. Quis etenim? in- *Laus in communi Illuſtriſſ: Deputatorum.*

 gentem

gentem Veſtræ gloriæ comprehendit capacitatem; quæ temporum ſeries? paginarum *vaſtitas* meritorum circumſcribit Immenſitatem: Illane exiguâ ſtringi poteſtis periodo? illone vix deſignabili capimini puncto? Deos Vos! ſine adulatione; tanti eſtis vel in minima dicendi atomo, quanti ſi totus pro throno Veſtræ Majeſtati cedat Orbis, tanti in anguſta Curia quanti totâ terrâ, toto cælo. Amplitudinem Veſtram metitur Æternitas, gloriam Veſtram amplificat Poteſtas, merita Veſtra ſola coronat Immortalitas. Nihil humile, nihil parvum in vobis videre eſt: Antiquitatem Familiarum ſi quærimus? (omnes quidem à Dijs dicimus originem) ſed Veſtri peculiare ſtudium habuêre, cum Vobis Vicariam ſalvandi & damnandi fecerint Iuriſdictionem, & priùs illud infudêre ingenium, quò alios judicaretis. quàm ætatèm conceſſiſſent. Fruſtra hic extumulanda vetuſtas, *cineres* Atavorum non inſpergent oculos ſuis nepotibus, ex quibus ſinguli Phænices nati eſtis, ſinguli rarâ, cum Arabiæ invidia, virtute. Soles illi quid peperiſſe poterant, niſi radios capaces univerſo Orbi illuſtrando. Si merita affectamus, Majores jam præterij, qui ſi nihil egiſſent glorioſi (quod invidus etiam non obtractaverit Momus) illorum rectefacta, vel corrigitis, vel refertis, vel augetis, cum una die tantum operemini ad gloriam quantùm illis defuit ad æternitatem. Ad hoc nati eſtis, qvatenus per vos ſtaret Iuſtitia, caderent vitia erigeretur Polonia, deficerent hoſtes: & ſic non fallitis, quandoqvidem habet in Vobis ſatis Patria quod æſtimet, inimici quod metuant, Innocentia quo confugiat, ſcelera quod trepident. Si dignitates, munia Reipublicæ inveſtigamus, quid Honor dicit? jam me inſinuo, jam ſponte Illuſtriſſimas Domos involo, ſed meas ad ruborem uſque pudet purpuras, tam Illuſtria operire Nomina, ſed mea ſolia tantam non capiunt Majeſtatem. Mei muneris ſcio, præmia conferre, non accipere: & ecce ultra coronas video merita, ſupra memet intueor, quod vix æmulari crederem; majorem me invenio, qui dignitate

Majo-


Majores facere consveveram. Si Stemmata, Familiarum nexus, qvis censor prætendat? respondet prima facies Honoris Vestri; Linea Sangvinis Nostri Principes, Palatini, Castellani, Mareschalci, Cancellarij, Duces, Ordines Regius, Senatorius, Equestris. Magnum est quod accepistis, sed majus, quod infertis. Luserat aliquando Vobiscum Fortuna, quando inter Illustrissimas Vestras Prosapias aureum Imperij projecit pomum, at nunc ubi tanti Honoris accessit gravitas, pro globo orbem tractatis Lechicum. Fulgebant olim domesticæ ceræ, Patriæ Libertatis accensæ zelo; flagrabat ingenitus ardor, quo inter reliquas gentes serenior inclaruit Sarmatia; qvas jam præfertis faces? in nocte ambulanti Iustitiæ; certè inter illa aurea primaq; Regni locari debetis candelabra. Si tantùm præsumeretis de Honoris Vestri authoritate, quantùm de se opinatur dignitas, aut communis censet æstimatio, nemini hanc cederetis gloriam, quin pro judiciaria penna, Orbis sceptra tractanda assumeretis. Et bene [illegible] pro au[illegible] gestam [illegible] ingenium, solum pro regio charactere non sapientiam, sæpiam pro sidonis tinctura, non candidum pectus commutaretis. Virtus cum Vobis suppetat, omne Majestatis decus superatis. Quid accedere Vobis potest cum altioribus solijs? nisi extimus color vel gradus aliquis ad eminentiam staturæ, non rectefactorum. Tyrus tantummodo superbiret ad ambitionem, quem merita Vestra sic extollerent; parvi bombices inturgescerent ad fastum, qui ante contemptibili includebantur nucleo: quilibet aurum magis observaret, quam aureum caput adoraret. Nullibi ita clarescerent Vestræ mentis probitas, inter augustos splendores, siquidem potiùs de opum affluentia humana quærit opinio, non de virtutum copia; quàm in Regum Vicaria Tribunalis Regni effulgurat functione, ubi pariter & Iustitia paritérq; honor, non est in abdito. Sic ád oculum hic est Vestra Dignitas, prout ardens in


E leges

leges Patrias flagrat zelus; ut in dubium verti possit, an in Honorem Pietas, an Honor in Pietatem transierit? Hic jam vel ex modica Orationis meæ scaturigine metire licet, quanti & quales estis, in Qvos tanquam in Oceanum omne confluxit bonum. Unum adhuc mirantur, vel invidæ, vel necdum suis in opinionibus resolutæ gentes finitimæ, quod nobis æque Reges atq; Iudices fiant, non nascantur. Cognoscant vel hinc non debere naturam agere in creandis Principibus, causarumq; arbitris, sed virtutem Divinam, discant inquam Polonos solius Dei esse Progeniem. Hanc ego non alio titulo vilissima mea hucusque adoravi panegyri, non ut condignis attollerem laudibus, sed ut Orbem universum in Vestri flecterem homagium; & qvod alias temere recitavi, *precâsse* tantum fuerat; imperate ut ProReges, judicate ut leges, præscribite ut Iudices, agite ut homines, vivite ut Dij.


D I X I.










G 1
410